

fyriorum salutatus. Quidam *Saturnum* nominant. Bellum fecit *Sabatio* Sabarum Regi. Domi multa præclare egit. Mortuum subditi *cultu divino* profecuti sunt; quod *idololatriæ initium* censetur. Sub hoc regnum *Sicyoniorum* in Peloponneso constituitur, primus Rex *Ægialeus* fuit.

*Ninus* militiæ laboribus juventutem exercevit. Duxit in exercitu suo peditum 1700000. equitum 210000. *Barzanem* Armeniæ Regem in suam potestatem redegit. *Pharnum* Medum cruci affixit. *Zoroastrem* Bactrianum Magiæ autorem oppressit. Ipse conjugis suæ *Semiramidis* astu atque imperio è medio sublatus est.

*Semiramis* Babylonem rebellem domuit, & stupendo opere munivit. Inundationem *Euphratis* aggeribus coercuit. *Æthiopes* *Lybiosque* subegit. *Indos* infeliciter tentavit. Tandem cum filii concubitum appeteret, incestæ libidinis pœnas dedit.

*Ninyas*, qui & *Zameis*, Res voluptarius, nihil majoribus, nihil regno dignum egit. Proceres verò, atque subditos astutis dolis in officio continuit. Sub hoc *Menas* in Ægypto superstitionem docuit populum, & deliciarum apparatus, quo nomine apud posteros malè audiit.

*Aralius*: sub hoc *Inachus* novum regnum Argis in Peloponneso inchoavit, quod *Argiveum* appellatur.

*Altadas* stultum esse dixit amplificandi regni causâ bella movere, aut gerere.

Spa-